BIBLIOTHEQUE DE L'UNIVERSITÉ

CORRESPONDANTS
DE
J.F. BOISSONADE

III
—
N-Z

BIBL.
DE
L'UNIVERSITÉ
MS.
1553

BIBL.
DE
L'UNIVERSITÉ
MS.
1553

MS
Fiches faites

Correspondance
de
J. F. Boissonade

III
N. 2

Ms 4553

1005

imprimée dans le Fasciculus 1.us p. 71. des lettres de Wyttenbach donné par Mahne

1518

BIBLIOTHÈQUE DE L'UNIVERSITÉ M.S. Sorbonne

Doctissimo Praestantissimoque Boissonadio D. Wyttenbach. S.

Redditus mihi est, eruditissime Boissonadi, liber tuus cum epistola; quorum illius me doctrina, hujus humanitas delectavit: et illum accepi ut documentum tuae erga me benevolentiae gratissimum profecto; neque tamen, quod scribis, postulatum: sed, quod ego Tibi affirmo, tui caussa desideratum. Ego vero gaudeo, vetus illud antiquarum Literarum studium accuratamque diligentiam, apud Gallos tuos reviviscere, quorum haec laus inde a Guil. Budaeo ad Henr. Valesium vel propria, vel praecipua fuit: nec minus gaudeo, Bastium virum nobilissimum Tibi socium contigisse, vosque hujus laudis apud succrescentem aetatem tuendae vindices exstitisse. Tu solus praestantissime Boissonadi nimis modeste, et ut ita dicam, humiliter de tua facultate sentire videris, qui propter ejus mediocritatem librum tuum ad meam notitiam venire noluerit: neque convenit tantae tuae doctrinae tanta sive μικροψυχία sive εἰρωνεία.

De Eunapio quod scribis, valde probo consilium tuum ejus edendi: et quid quid habeo ei poliendo copiolarum Tibi lubens impertiam: sed est ille leve et exiguum, à me obiter annotatum ad calcem Epistolae Crit[illegible] ut quaeque mihi subnascebatur cogitatio, et pleraeque novae anima[illegible]nes non nisi pristinarum repudiationem continent. Non dubito Te con[illegible]luisse Dorvillii commentarium in Charitonem et Henr. Valesii Emendationes, in quibus frequens est Eunapii correctio. Quod si etiam Carpzovii Apparatum adipisci possis, qui quo pervenerit equidem nescio, multum ornando operi tuo contuleris. Illud etiam, si me audis, auctor Tibi sim, ut tuae editioni Annales Eunapianos addas, quales nostis Historicis antiquis, Herodoto, Thucydidi, Xenophonti Dionysio Halicarnassensi, Vellejo, ab optimis editoribus additos exstare, magno cum Historiae lumine et emolumento. Immo Philostrato Olearianо adjectos vides: quibus uberiores diligentioresque Tu facile conficies. Haec habui Praestantissime virorum quae nunc ad Te scriberem. Annotationes meae Eunapianae satis mature ad Te pervenient. Tu quas in his meis literis alias ad Bastium nostrum datas vides, hae ut ei reddantur velim cures: meque, ut facis, in amicis tuis numerare perge. Scr. Ludae d. 15 Febr. MDCCCVIII.

[illegible]ad totum [illegible]icae, ita [illegible]dversio[illegible]

A Monsieur

Monsieur Boisjonade

à

Paris

Rue des Jeuneurs N°. 13.